



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

9. Quàm verè fuerint hæc à Plotino excogitata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

& materia, quæ sæpè calorem ab igne accipit, flammam tandem concipit. Hinc etiam aliter cognoscit sensus, aliter phantasia, aliter anima seu ratio, aliter intellectus. Sensus & phantasia, quod non seipsas, sed aduentitia tantum cætera spectent, rectam tenent in cognoscendo lineam: Sensus externa, phantasia interna considerant. Ratio aliarum rerum formas à phantasia suscipiens externa prospicit, easque superioribus formis, quæ in intellectu sunt, accommodans domestica quoque & seipsam cognoscit, linea quasi obliqua & recurvata. Intellectus deum ad inferiora nequaquam se vertit: sed à seipso exordiens & in seipsum desinens, seque ac sua intelligens, circulare agit lineam; qua tū seipsū, tū in se omnia intelligit. Et cum sit forma profusa actu, nunquam ab actione cessat; idemque in eo sunt intellectus, intellectio, & intellectibile. Verum dum seipsum cognoscit per formam, Deum item tanquam ex effectu causam intelligit. Contra ubi ad Deum sese conuertit, illum quasi per formam intuetur; seque ipsum velut effectum ex causa. Ita infimum cognoscendi gradum tenet sensus, supremum intellectus. Ac sensus quidem atque adeo phantasia circa inferiora agunt; ratio circa inferiora & superiora; intellectus circa ipsum & id quod superius est. Sensus, phantasia, & ratio, interdum sunt actu, interdum potestate; intellectus semper actu.

Rursum quidquid videt, per lumen videt: videt sensus visus; videt intellectus & ratio, seu anima. Sed visus, qui foras aspicit, per lumen sibi coniunctum colores videt, per vnum lumen aliud lumen. Intellectus ut seipsum contempletur, sic non per vnum aliud cernit, sed per seipsum: estque lumen sibi metum resurgens & in seipsum perpetuo per se reflexum, lucensque simul & illuminatum. Ut resurgat in anima eamque illuminat, intellectualem facit: quia per illius vestigia ipsi impressa tum in insite intellectu claritatis amorem rapitur, tum omnino intelligit. Siquidem lumen illud verorum fontem hauriens, velut vite intellectus, in quo ipsa vera consistunt, vestigium, intellectualem induit vitam, sitque velut quardam intellectus imago. Est enim vel naturaliter ipsa (si sensum, cupiditatem, & eiusmodi inferiora semoueris) intellectus imago. Ut intellectus sit quasi lumen solis, anima velut lumen illi proximum circa ipsum ex ipso resurgens.

Porrò inter primum intellectum diuinum & secundum nostrum hoc interest; quod primus omnia in se habet inter se nequaquam discretus, sed maximè vna; secundus formas quidem omnes continet, sed ratione distinctas. Hunc autem nostrum esse multiplicem, singulosque hominibus atque animabus singulis proprios; manifestum est ex libro de dubijs anima primo cap. 5 & 6. Hinc cap. 3. libri de tribus principalibus substantijs, tū exemplo verbi, quod voce profertur, & verbi existentis in animo, quemadmodum anima sit intellectus imago, in explanat; tum intellectū animæ patrem ac nutritorem appellat; quod adfit semper atque ab illo tota huius perfectio pendat.

Denique cum in libro de intellectu multa dissecat in eandem sententiam; tum in cap. 6

A quomodo formæ omnes in intellectu contineantur, exponit. Sunt enim omnes nequaquam confusæ, sed inter se distinctæ. Sicut genus species omnes, totumque partes continet; & in ipso feminè vitutes plures, oculi, manuum, & aliarum partium insunt.

Pluribus hæc ex Plotino commemorare placuit; ut tum quid homo de intellectu senserit, intelligeretur planius; tum verò explicaretur, quid illud sit, quod eum Philoponus dixit, duplicem intellectum humanum posuisse. Alter. n. est ipsa ratio rationalis facultas; quæ ut motu & ratiocinatione constat, sic potestate interdum est, interdum actu. Alter, qui propriè & verè intellectus dicitur, actu semper, semperque intelligens. Rationalis facultas est, quam intellectum potestate dixerunt peripatetici: intellectus, quem agentem appellarunt.

9. Quam verè fuerint hæc à Plotino excogitata.

Quæ ita Plotinus prodidit, vereor ne acutè magis ac subtiliter excogitata, quam verè pronuntiata fuerint. Nam ut mittam tria illa mundi principia, bonum, intellectum, & animam mundi; de quibus non est huius loci disputare. Illud tolerandum non videtur, quod rationalem facultatem atque intellectum tantopere in nobis faciat

discrepare. Ut enim intelligere non est hominis proprium, sed cum separatis pluribus substantijs commune: sic esse intelligens veluti genus & commune attributum existimari debet: esseque rationale, veluti speciale atque hominis proprium. Non inquam hæc diuersas facultates constituunt, sed in vna & eadem considerantur, dum in nobis spectantur. Hic enim est hominis proprius intelligendi modus, qui ratiocinando fit; neque aliud est ratiocinari, quam humanum intelligere: nec aliud ratiocinandi facultas, quam facultas intelligendi ratiocinando atque ex vno ad aliud progrediendo. Sanè facultas hæc ipsa immaterialis est, consentiente Plotino; intelligens igitur est & intellectus: qui que eam intellectum potestate appellarunt peripatetici, accommodatè magis loquuntur. Quare si inter phantasia & agentem intellectum mediam illam is constituat, concedendum fortasse fuerit, sin autem inter intellectum simpliciter & absolutè, nullo modo.

D Quemadmodum neque illud, facultatè hanc mediã utrinque formas accipere; tum à phantasia, tum ab intellectu. Nisi à phantasia materialiter & velut rem intelligendam proponente; & ab intellectu, tanquã agente formas excitante, dicas accipere. Alioqui manifesta est nostra, dum intelligimus, ad phantasia tota conuersio; quasi inde solum formæ obiectorum hauriantur. Conuersionem ad intellectum animaduertimus nullam. Et si ea esset, indeque formas acciperemus; ac meliores multo, quam à phantasia; inutiles profectò hæc esset, & absque illa possemus intelligere. Verum neque ex vno in aliud subiectum migrant intellectibiles formæ; veriusque à nobis ipsis intelligendo promuntur quam accipiuntur aliunde. Mirò formas hæc sapientioribus Philosophis nil aliud, quam intellectionem ipsam esse; quæ hauri dubiè non accipitur aliunde, sed ab intelligente facultate promittit atque in ea ipsa suscipi-

Intellectus & ratio ut differant.

Intellectus differens formas accipitur ab intellectu.

Intelle-
ctus non
habere
infitas
verum
formas.

tur. Neque agentem intellectum tanquam effectorem cogitari: non inquam, qui eas, quas in se perpetuo habet, in intellectu potestate refundat; sed qui novas subinde ex phantasia producat; ea, quae materialia sunt & potestate, efficiendo actu intellectilia.

Illud autem (id est in vno esse intellectum, intellectiōnem & intellectibile) de solo intellectu diuino antea verum esse admonui. Quomodo & illud in intellectu intellectiles omnes formas re ipsa & actu contineri; nec cum quicquam extra seipsū intelligere aut habere infitas eorum formas; sed eas à phantasia accipere, non tantum cum primò intelligit, sed etiam cum postea speciebus reseruat ad intelligendum vitur. Quod quidem valde conforme est doctrinæ Aristoteli dicentis in hoc libro, præsertimque tex. 39. cum qui contemplatur debere necessariò vñ cum phantasma te contemplari, hoc est concurrente simul phantasia. Nam intellectus noster immaterialis est & organo minimè affixus. Quòd si non requirat actum phantasia qui concomitur eius actum, certè quomodocumque se habeat organum phantasia: ipsa que phantasia, non debet impediri intellectus in sua actione. At contra videmus dum læsum est organum sensus interni, morbo aut alio casu, intellectum nil posse intelligere; nec perfectè vti parta prius scientia, vt patet in freneticis & ebrijs, vnde etiam pueri ante rationis vsum non nisi obscure intelligunt quia nempe ob vimiam cerebri eorum humiditatem obscura sunt phantasmata. Adde quod experimur quoti escunq; aliquid intelligimus nos formare idolum quoddam in imaginatione in quo nobis representamus quod intelligere volumus: & dum alijs aliquid intelligendum proponimus exempla familiaria adducimus ex quibus possit formare phantasmata. Itaque post concursum phantasia & specierum perceptionem, intellectus pro sua subtilitate potest res materiales & immateriales, substantias & accidentia, vniuersalia & singularia cognoscere diuerso respectu. Et substantias quidem hoc modo: Ex sensibilibus per se producuntur in intellectu quedam species representantes in communi & in confuso aliquid commune Accidentibus sensibilibus & substantijs; interdum autem intellectus coniungit plura ex his communibus, & ex illis fit vnum commune tantum substantia in communi, aut tali vel tali substantia proprium vt esse subiecti conuenit alicui Accidenti nempe quantitati vel facultati animæ; & esse primum, alicui Accidenti, puta proprietati, tamen esse primum in ratione subiecti conuenit soli substantia. Intellectus percipit etiam singulare materiale & determinatum non minus propriè quàm sensus, & quidem secundum esse singulare, non autem in communi tantum; quia facultas que ponit discrimen inter duo, debet ipsa cognoscere; ex Aristotele in textu 195. & 196. at intellectus statuit discrimen inter vniuersale & singulare vt inter duo singularia. Quod spectat ad singularia accidentium per se sensibilibus, intellectus ea cognoscit directè per propriam speciè, & per proprium conceptum, non per reflexionem aut per conceptum vel speciè vniuersalis. Dixi (singularia accidentium sensibilibus per se) quia singulares substantia & singularia acci-

dentia haud per se sensibilia non cognoscuntur per propriam speciè. Iam vero latetur omnes vniuersalia materialia cognosci ab intellectu conceptu proprio & per propriam speciè abstrahendo à singularibus. Si autem sermo sit de substantijs immaterialibus seu spiritualibus, dicimus eas ab intellectu aliquaratione posse cognosci in hac vita, non tantum quoad an sint, sed etiam quoad quid sint. Neque id fuit Aristoteli ignotum: licet enim in textu 36. tale dubium proponat quod non dissoluit, & 2. Metaph. cap. 1. dicat, vt se habent oculi vespertilionum ad lumen solis, ita intellectus noster ad ea que sunt manifestissima ex natura sua, hoc est ad substantias per se intelligibiles que sunt separatas; at tamen sicut noctua non priuatur omnino totis & luminis visione, sic neque anima nostra cognitione substantiarum separatarum. Et 9. Metaph. textu 21. & vlt. scribit intellectum esse in potentia ad intelligendas substantias immateriales, nec tantum in potentia cæcitat, quasi dicitur potentiam aliquando reuocandam in actum, quod non conuenit cæcitati, & 2. de gener. animalium cap. 3. ait intellectum habere quandam actionem, in qua nullo modo communicat corpus, nec vt subiectum, nec vt organum; At talis actio est ea qua potest cognoscere substantias separatas. Denique 1. de part. anim. capite 5. ait nos aliquam de substantijs separatis habere cognitionem, licet exiguum & obscuram. Verum an habere possit in hac vita perfecta & quiddam tiam earum cognitio maior est difficultas, cui vt satisfiat, vno verbo dicendum non posse naturaliter, posse tamen supernaturaliter cognitione à Deo infusa; quia intellectus naturaliter & ordinariè nil cognoscit nisi per conuersionem ad phantasmata, nec alio modo potest vti scientia acquisita nisi per phantasmata rerum que cognoscuntur. At res spirituales non incurunt in nostros sensus proindeque non possumus habere earum phantasmata. Denique non cognoscimus distinctè substantias materiales nisi in ordine ad effectus & accidentia sensibilia vt constat experientia. Ergo multò minus substantias spirituales que non habent Accidentia sensibilia, nec vllum effectum quod adæquet totam vim ipsarum; nam quodcumque earum effectum percipimus, solum incompletè & inadæquate potest referre suum principium suamque causam.

Neque etiam potest intellectus per phantasmata rerum materialium, peruenire in distinctam cognitionem quiddam tiam rei immaterialis per propriam speciè. At tamen non est diffidentum eum posse cognoscere substantias separatas per phantasmata rerum sensibilibus & per effecta, sicuti Deum per creaturas que sunt illius effectus. Creatura enim continet imperfectà & adumbratà perfectionè dei representationem, per quam ad illarum cognitionè vncunque deducimur. Porro licet conceptus qui habentur de Deo non sint clari & distincti, sunt tamen certi ac veri de quibus haberi potest scientia.

Hactenus de intellectu nostro in præsentia statu verba feci, non autem de intellectu separato, in quibus

Intellectus non separatus a corpore

in quibus maxima inest differentia. Nam alter est participatus, alter impatiicipatus; alter in seipso manet, alter ad aliud se porrigit, atque inferiori naturae imperit. Ille terminus est separatus, hic alterius, nempe rationalis animae, terminus. Ille semper agit, hic interdum agit, interdum non agit; ut deinceps idem est auctor in comment. tex. 16. & 17. De hoc iam ab Aristotele in hoc tertio de anima comment. verba sunt, etsi de ipsa rationali anima potius agatur.

Intellectus in corpore qualis sit.

Ceterum hic noster intellectus antequam corpori iungeretur, sincerè & absolute in se manebat: iunctus autem corpori permanentiam illam remittit, ad externa se porrigens. Non ita tamen ad extra egrediens, ut illius substantia penitus immutetur & non in ipso maneat. Quia vnus est re ipsa intellectus qui & manet quod antea erat; & rursum permanens in progressu ad extra factò remittit & à se quasi recedit. Ac primum quidem in occurso ad corpus à se recedens infirmatur & fit imperfectus potestate; deinde perfectus & habitum demum in seipsum recurrit, usque est id quod est. Sic. n. animae, quae inter indiuiduam & diuiduam substantiam est media, sese accommodat; mediisque efficitur inter intellectum separatum, qui semper in seipso manet ingenuus & immortalis; & sensum, qui penitus à se recedit, foras progrediens, genituque est & mortalis.

Duplex in anima nostra ratio.

Hinc duplex in anima nostra ratio primum distinguitur, non tamen re ipsa sed ratione, & quatenus vnus & idem intellectus alio atque alio modo se habet. Vna in se manens nec ad alia progrediens, sed proprijs cognoscibilibus se ipsa plena, inque suas formas sese conuertens, substantiali scilicet actione, qua in substantiam suam sese conuertit, suaeque substantiae vnitur. Altera à sui mansione recedens atque actionem substantialem relinquens, quae in substantiam illam & substantiales formas conuertitur: nec ea, quae in se sunt, contemplant; sed actionem non substantialem, id est ad substantiam non conuersam, edens; sed ad exteriora progrediens, ac secundis vtens vitis, sensu & phantasia; dum sensibus cognoscendis incumbit. Deinde posterior haec rursum est duplex. Altera à suis causis, nempe à natura intelligente, quae actu est, prorsus recedit; intellectibus illis omnibus formis, quae manenti rationi inerant, in progressionem ad corpus obliteratis. Quare potestate penitus est & imperfecte, hoc est potestate solum formas habet. Altera non omnino recedit; sed in hac vita foras protensa existit perfecta & absoluta; quod in habitibus cognoscenda susceperit à manente ratione, à phantasmatis excitata. Quare rationum habitum in se contemplant, quodam modo à se recedit. Quoniam haec rationes illi essentialis & internae non sunt. Non tamen penitus recedit, sed quodam modo manet; quatenus est circa substantiam illius sunt. Longè verò recedit, cum sensus & phantasiae interuentu singulas res intuetur.

Intellectus potestate & habitibus & intellectus in anima.

Harum prior ratio intellectus potestate vocatur; posterior intellectus habitu. Omnium autem prima illa in se manens atque essentialibus rationibus praedita, intellectus actu seu agens. Primus plane imperfectus est & potestate. Alter

A perfectus quidem circa substantiam, at non in substantia neque secundum actionem essentialem, ad essentialis scilicet formas conuersione: imperfectus autem & potestate ad hanc perfectionem, qua ab essentialibus formis, primitiue cognoscendis potest absolui. Tertius omni ex parte perfectus. Primus potestate, tum prima, tum secunda; tum ad actum primum habitus rationum; tum ad secundum operationis. Alter potestate solum secunda; actuque primo habitus, potestate ad operationem. Postremus omnino actu, nullo modo potestate. Quare inter intellectum actu seu agentem, & intellectum potestate medio loco intellectus habitu constituitur. Nam etsi actu intelligat, potestate tamen intelligere dicitur: quoniam à speciebus intellectui superiori in suis quasi aduentitia & aliunde ascita perfectione absoluitur. Quemadmodum & corpus viuens, etsi actu viuat, potestate viuere dicitur; quod aliunde, nempe ab anima, vitam habeat. Superior autem intellectus ille, ut essentialis rationes habet, sic essentia sua est actus: neque aliunde perfectionem accipit, sed in essentia sua obtinet. Est enim supremo intellectui separato proximus: ut intellectus potestate, cum foras, ut sensus, se porrigat, sensui similis & cognatus existit. Et intellectu habitu ab extrinseco recedens omnia in se quantum fieri potest, impartibiliter vniti; ut intellectui superiori propinquus, qui formas essentialis habet, assimilatur illi.

Denique ita simplicius existimauit. Humanam animam his omnibus constare, intellectu, phantasia, sensu, vegetatione. Intellectum rursum intellectu actu, habitu, potestate. Supremam animae substantiam & primam vitam esse intellectum: supremam intellectus partem intellectum actu, qui & agens, & substantialis & essentialis dicitur; quod essentialis, hoc est in essentia sua formas habeat; nec in eo quidquam existat, quod substantia illius non sit. Hinc ceteros tum promere dum extra progreditur; tum substantialibus suis formis perficere. Phantasia, sensum, vegetationem, inferiores & secundas vitas censeri. Intellectum porro agentem & patientem de quibus potissimum nunc sermo, non nisi vniam re ipsa naturam esse, ratione sola diuersam: praeter id, quod dictum est, illum ipsum intellectum actu, qui formis omnibus praeditus est, dum ad corpus progreditur, infirmari ac potestate effici; exposuit rursum in comment. tex. 14. Vbi docens quomodo intellectus potestate tabella non scripta similis esse dicitur; quod inscriptus non sit, sed inscribi aptus ab alio; A seipso quidem, inquit, id acquirit: attamen quasi ab alio, quoniam à suamet & propria rececit substantia. Et ut antea dictum est, ad corpus progrediens imperfectus effectus est. Perficitur autem, ubi conuersus fuit ad substantiales rationes, quae in ipso manente sunt, perficiuntque portionem illam sui ipsius ad extra prouenientem. Ac rursum in extremo commentario tex. 27. eundem illum intellectum, tum agentis ac veluti artificis, tum patientis & quasi materiae, vim habere confirmauit; quatenus aut actionem producit,

Intellectus agens & patientis idem.

OOOO